

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

VII.

S Litteras, sicut postulasti, Vir Reverende & charissime frater, ad Illustrissimum Principem dedi, idque, quam potui, citissime per Professore[m] Rostochiens[em], qui se mihi, percomodè obtulit. Doleo vehementer, virum bonum & eruditum, deque Ecclesia optime meritum aded infestari, ut si fieri queat, ejus etiam ex orbe quaratur exterminium. Etsi enim velim quædam moderatius ab ipso acta esse scriptaque, tamen zælo insigni condonare conveniat multa. Verum rectius hæc tu, mi Marbachi, omnia reputas, qui & hominem ejusque studia actusque penitus cognoscis, & exquisitiore polles judicio. Pro Thesis missis gratiam habeo, eosque probo, nec dubito, dextrè à filio defensas, cui hanc felicitatem gratulor, quo te & patre & præceptore, suorumque studiorum directore ad sublime veræ & salutaris doctrinæ fastigium queat conscendere. Sed & Ecclesiæ DEI in hoc ipso gratulor. Cæterum ne nescias, petivit à me clarissimus, mihi in Domino conjunctissimus Doctor Theodorus Zwinggerus, ut pro Oberto quodam Typhoneo, erga Reverentiam tuam intercederem, quod existimaret meam apud te autoritatem pondus habituram. Et quanquam ignotus is mihi sit, quia tamen à virò probatæ fidei Zwinggero testimonium refert doctrinæ & pietatis, nolui detrectare officium, & proinde te rogo, si qua potes consilio patrocinioque prospicere, adesse ei digneris. Si quid sit, in quo meam operam requires, intelliges, Sulcerum nunquam non promptum & alacrem. De rebus Galliæ, quæ prorsus deploratæ videbantur, quidam melius denuo sperare incipiunt, quod Amiralus, cum suis animum resumpserit & copiis validis instructus producturus bellum videatur, nisi conditiones pacis æquiores, quam hætenus oblatae sunt, obtineat, nec non metendum habeat Rex, ne, si obstinatè omnimodam extirpationem Hugonotorum, (quos vocat) moliatur, experturus sit hostem, quem non præsumpserit animo, gravissimumque in discrimen conjecturus sit univ[er]sum regnum. Sed in manu Domini eventus est positus, quem præcemur, ut pacem donet in diebus nostris, Ecclesiam suam respiciat & conservet. Sed bene vale, vir ornatissime & nos nostraque tenuja studia pientissimis supplicationibus tuis juva. Saluta, uxorem, filios & collegas tuos meis verbis amanter. Salutant & te mei collegæ Coccius & Fueglinus. Scripsi Basileæ, 16. Aprilis, Anno 1570.

T. R. d. totius

S. Sulcerus.

Rr 2

VIII.